

HARTMAN, JACOB JOHAN

Cornelius Gallus Parthenio. : Carmen...

Amstelodami
1904

EOD – Millions of books just a mouse click away! In more than 10 European countries!



Thank you for choosing EOD!

European libraries are hosting millions of books from the 15th to the 20th century. All these books have now become available as eBooks – just a mouse click away. Search the online catalogue of a library from the eBooks on Demand (EOD) network and order the book as an eBook from all over the world – 24 hours a day, 7 days a week. The book will be digitised and made accessible to you as an eBook.

Enjoy your EOD eBook!

- Get the look and feel of the original book!
- Use your standard software to read the eBook on-screen, zoom in to the image or just simply navigate through the book
- *Search & Find:* Use the full-text search of individual terms*
- *Copy & Paste Text and Images:* Copy images and parts of the text to other applications (e.g. word processor)*

* Not available in every eBook.

Terms and Conditions

With the usage of the EOD service, you accept the Terms and Conditions provided by the library owning the book.

- Terms and Conditions: <http://books2ebooks.eu/odm/html/nls/en/agb.html>

More eBooks

Already more than 30 libraries in over 12 European countries offer this service.

Search books available for this service: <http://search.books2ebooks.eu>

More information is available at <http://books2ebooks.eu>

CORNELIUS GALLUS
PARTHENIO.

LIBRARY
CORNELL UNIVERSITY
Ithaca, N.Y.

LIBRARY
CORNELL UNIVERSITY
Ithaca, N.Y.

LIBRARY
CORNELL UNIVERSITY
Ithaca, N.Y.

CORNELIUS GALLUS
PARTHENIO.

CARMEN

JACOBI JOANNIS HARTMAN

LEIDENSIS

IN CERTAMINE POETICO HOEUFFTIANO

MAGNA LAUDE ORNATUM.

AMSTELODAMI
APUD IO. MULLERUM.

MCMIV.

CORNELIUS GALLUS
PARTHENIO.

CARMEN

JACOBI JOANNIS HARTMAN

LAIDENSIS


IN CERTAMINE POETICO HOBERTIANO

MAGNA LAUDE ORNATUM.

AMSTELÆDAMI
APUD IO. MULLERUM.

MDCCLXXV.

CORNELIUS GALLUS
PARTHENIO.



Ohe, quid mihi nunc a te perfertur, amice,

O decus, o gentis gloria grammaticae!

En teneo librum, quo nullum carius aurum:

Nomen ab interitu vindicat iste tuum!

Gratia magna tibi! Nunc denique quotquot amantes

Tristia pertulerint noscere fata datur;

In tenebris densis latitantum carmina vatum

Vestigare tibi sedula cura fuit,

6 CORNELIUS GALLUS PARTHENIO.

Sparsasque hic illic constringere corpus in unum

Historias: gravis hic herculeusque labor!

Parthenii *docti* splendescet fama perennis,

Materiam *doctis* nam dabit istud opus:

His facis Euphorion Hermesianaxque poetae

Ignoti ne sint Lesbius aut Phantias,

Iam certamen erit Xanthus quis quisque Neanthes

Quaerere, Timaei quis fueritque liber,

Historiam an versus Theophrastus scripserit ille,

Nomine quo fuerit carmen Aristocriti.

Non tamen ista tuo quaesita est gloria libro,

Te bene si novi consiliumque tuum.

Sed *mea*, quae semper, tibi nunc quoque gloria curae,

Consulis ingenio nunc quoque, amice, *meo*.

Doctorum numero vatum *me* ponis in illo,

Carminis et docti fers *mih*i materiem.

Exornare iubes numeris quaecunque labore

Sunt collecta tuo versiculisque novis.
Scilicet heroum mihi cantabuntur amores,
Nomina erant quorum non mihi nota prius.
Nescio quis miseros tibi praebeuit angulus illos
Obscurus, bene qui delituere diu.
Heu turba infelix, cui tam crudelia fata
Imperium Veneris triste ferenda dedit.
Insanis cunctos ussit sic ignibus illa,
Tam dirus cunctos exagitavit amor,
Ut laqueo saltuve a saxo ponere vitam
Decrerint aut sint sumpta venena manu;
Felices illi qui dis miserantibus alas
Ceperunt — mire nempe deos miseret —
Conversi vel sunt in fontes, sidera, saxa,
Cortice vel duro corpora clausa gerunt.

Hercule non mihi mens nunc est ut carmine tali

Eliciam lacrimas eliciamque „sophos”.

Iam valeant plausus doctae laudesque coronae:

Quid mihi cum fama, maxima Roma, tua?

Gallia me — non ignoras — carissima tellus

Civibus adnumerat Caesaris atque Forum.

Editus unde ego sum tandem me terra recepit:

Haccine me stultum tam caruisse diu!

„Nullus in orbe locus Baiis praelucet amoenis”

Maeonidae cantet *lumina* quisquis habet.

Hinc mare conspicio clausum non molibus ullis,

Non hic ventorum frangitur arbitrium,

Hic fluctus video veros verasque procellas,

Non oculis obstant regia tecta meis,

Augustae non hic obgannit inepta quieti

Scrutorum pretio turba superba nimis,

Conspicio silvas non unquam falce recisas,

Floribus et variis herbida prata rubent.

Stant in prospectu sublimi vertice montes,

Aeternae decorat quos diadema nivis.

Talia contemplanis num quisquam carmine docto

Quae neque sunt neque erunt concelebrare queat?

Nescioquid nunc ipsa mihi nemora alta loquuntur,

Nescioquid narrat limpidus ille lacus,

Nescioquid leni mihi murmurat aura susurru,

Cumque mari vasto rivulus ille loquax.

Alloquor ista silens, his adridere voluptas

His etiam lacrimas fundere summa mihi.

Nunc obscura quidem sunt omnia quae mihi pectus

Volvit et obscuris vocibus usque petor,

Et tamen o posthac mihi cuncta haec clara futura

Mens mea nil dubitans augurat ipsa sibi;

Verbaque non derunt animos motura legentum

Non levius quam nunc me mihi visa movent.

Custodes ovium specto spectoque colonos,

Et mihi — ne ride! — iam labor iste placet:

Nunc apium dominus fio, nunc rusticus ipse,

Ducit et ad fontem meque gregemque canis.

Iamque donum refero—quid censes? carmina? nondum;

Unde tamen possit crescere carmen adest:

Non ut Aristaeus taurorum sanguine fuso

Examem stridens excitet inde novum,

Non nisi quae vitam reddat mihi surgit imago,

At quanto vita pulchrior illa tamen!

Somnia vita mihi praebet, sed somnia vera,

Dum vigilo fiunt usque ea certa magis.

O quando dabitur carmen mihi, tangere mentes

Quod queat incomptas, rustica corda virûm.

Exulet hinc longe triviti quodcunque vetustas,

Communesque loci rhetoricusque color.

Nunc sermone opus est, pectus quem subiicit ipsum,

Sit clarus, dictis plus tamen ille tegat.

Me capiant pauci, sint multa obscura profanis,

Sentiat hic mecum qui mea verba leget.

„Bruta tibi sapiunt, vates, tibi muta loquuntur,

Iam video, sordent urbs hominesque tibi.”

Haud equidem mirer si sic, urbane, ioceris;

Urbanos homines talia verba decent.

Et loqueris vere, fateor, mihi sordida sordent:

Num tibi, dic, fumo squalida tecta nitent?

Nec facunda mihi plaustra aut ad summa domorum

Machina quae stridens pondera magna rapit.

At genus humanum fuit haud mihi carius unquam,

Denique nunc hominum vox mihi grata sonat:

Hic homines quoniam veros nunc denique cerno,

Non quos ostendit sera lucerna tibi.

Vivitur ad solem hic, silvarum novimus umbram,

Doctam istam novi sed miser unus ego.

Ludentes speculor pueros lepidasque puellas,

Carminis indocti percipioque modos.

Callimachi manes ignoscite tuque Phileta:

Discipulum iam iam me schola nacta nova est.

Turba sagax haec usque novos ludosque iocosque

Invenit, o vitae quot simulacra ciet!

Nam modo bella gerunt: non tantum nomine pugnam

Iulius hoc placido vivit in oppidulo.

De stipulis aquilas iactant et frondea signa

Et tuba de charta veraque vitis adest;

In speciem nunc castelli cumulatur arena

Longaque Gergoviae fingitur obsidio;

Stant bene cum turres, cum moenia fossaque ducta,

Hostibus hinc illinc et data castra sua,

Expugnator adest, qui disiicit utraque, fluctus,

O quantos plausus ille triumphus habet!

Iudicium modo fit: sedet alto caespite praetor,

Clepsydraeque locum fracta lagena tenet,

Docta cohors iuxta tabulam pro codice legum

Consulit, implevit quam suus Orbilius.

Accedit reus en manicis et compede vinctus,

Septennisque parat flebile lictor opus.

„Hoc age” nam dictum est: virgarum e fasce securis

Lignea protrahitur; vox ibi balba sonat:

„Civis Romanus...” solvuntur vincula, matres

Praetorem ad lectum consiliumque vocant.

Nec minus illa placent intus quaecunque geruntur,

Agrestisque casae strenuus ille labor.

Rustica praesertim mater prolique focoque

Prospiciens oculos detinet usque meos.

Sedula quam trepidat quacunquē est pulveris ulla

Formido aut maculae, quantaque bella movet

Dissideat ne parva sua de sede supellex,

Compositumque pari par sit ubique suo.

Expectatur enim vir mox rediturus ab arvo:

Invenit hic semper cuncta parata domi.

Cena manet fessum, grandis nunc ponitur olla,

Et circum mensam cara corona sedet.

Quid tibi nunc referam fiant quaecunque faceta,

Nativosque sales innocuosque iocos?

Tunc magis ista vigent lucis cum tempora bruma

Contrahit agricolis otia longa ferens.

Lumina, non auro quae dat pretiosa lucerna,

Sed breve per spatium quae iacit ipse focus,

O quam grata meis oculis spectacula praebent:

Quam dubito vates pictor an esse velim!

Hic ingens stipes proprio deiectus in agro

Ponitur et crepitans laeta favilla volat;

Parva mora est, en flamma venit, iamque undique praedam

Arripit et lambens devorat illa suam.

Quot linguae saliunt ex omni parte, coruscans

Quam varias formas exhibet ille chorus.

Albatus paries quam miris saepe figuris

Aut tremulos risus aut movet ille metum.

Assidet hic mater, pater hic, tenet angulus ille,

Commodior quoniam proximus atque foco,

Illorum canos fractosque aetate parentes:

Rugosam dextram frigida dextra foveat,

Et capiunt somnum, certe dormire videntur

Praeteritique aevi somnia grata vident.

Circulus impletur pueris laetisque puellis,

Nutibus hi num sit cena parata rogant.

Accedunt famuli vicinusque unus et alter:

Res audita nova hos non sinit esse domi.

Quae simul est narrata, frequens iam fabula surgit,

Ornatus varius quam facit usque novam.

Hic sibi venanti magno conscensa labore

Saxa refert, pugnas narrat at ille suas;

Prodigium haud unum memoratur, somnia mira

Quae tamen eventu non caruere suo.

Haud raro venit huc aliis prudentior unus,
Et laetis semper plausibus excipitur:
Hic hominum mores multorum novit et urbes,
Dum sequitur terra dum sequiturque mari
Victrices aquilas; Romam quoque venit et illic
Per fora perque vias oppida picta tulit,
Pugnarum et tabulas populo plaudente, ducique
Egregius miles proximus ille fuit.
Emeritus nunc ipse suis latet abditus arvis,
Re bene quae gesta praemia digna tenet.
Qui sibi cum visas gentes, cum proelia narrat,
Auribus arrectis tota corona sedet;
At iuvenum mentes urbis miracula nostrae
Ignaras capiunt hoc referente magis.
Me vero tunc praecipue delectat, ineptas
Cum curas Urbis gaudia cumque notat.
Nam notat haec, quoties istic quae sint sibi quondam
Intellecta parum mira que visa refert;

Quam lepidus tunc fit censor! nunc denique cerno

Quos habeat sermo rusticus ille sales :

Nescius exagitat bellos, qui semper adhaerent

Lecticis, uxor quas aliena tenet,

Qui digitis fulvum iactantes omnibus aurum

Pompeiamque umbram pervolitantque forum.

Nec minus insanas imprudens increpat illas,

Esseda quas rapiunt quasque covinnus agit:

Effusas ipsae stantes moderantur habenas,

Impia phui duros, gens imitata viros!

Nonne pudet manibus teneris agitare flagella,

Vocibus impuris aut stimulare iugum?

At mihi narrator quantos movet ille cachinnos

More suo quoties nostra theatra notat.

Aiaces declamantes, Telamona disertum

Oedipodasque refert, flebilibusque modis

Cantantem Andromedan, dura dum caute revinctae

Belua terribilis vulnera dira parat.

Talia narrantem miratur rustica turba;

Nec minus admirans haec ego saepe loquor:

Quam salsos poterit gens haec producere vates,

Ingenii cultum sit modo nacta rudis!

Materiem non deesse vides regionibus hisce:

Haud opus excerptis, docte poëta, tuis.

Materies non deest, non desunt corpora grata,

Luminibus nostris dignaque carminibus.

Hic mihi num quisquam — circumspice — conferat istos

Languentes oculos pallidulasque genas?

Certe una est prae qua cunctae Lydaeque Chloaeque

O mihi quam sordent in tenebrisque iacent!

Illius lacrimis captor captorque cachinnis,

Si tacet aut loquitur quidlibet illa placet.

Hanc ego saepe sequor non observatus, at illa

— O utinam ne me vana fides moveat! —

Respiciens here me viso minus anxia fugit,

Quid valeat cantus iam meus experiar.

Cuncta sed experiar, quod si mea vota valebunt

Sollicitaeque preces, tunc ego, crede mihi,

Iudicibus vobis iam Graeculus ille futurus

Barbarus haud ullis infitiandus ero.

DUO SIGNA

www.books2ebooks.eu